

B. c. D.

168

# RESPIRATIO DIAETETICA,

---

Quam,

Dissertatione Academica,

Confens. Experient. Facult. Medic. Upsal.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO AC GENEROSO,

# D. D. CAROLO à LINNE,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN. PROF.

R. O. ACAD. PAR. PETROP. IMP. N. C. HOLM. UPS. LOND. ANGL.

FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. NIDROS.

CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMB.

In Audit. Carol. Maj. Die XXIX. April. A. MDCCCLXXII.

*Horis Ante Meridiem Solitis*

Publicæ Eruditorum Censuræ offert

*Stipendiarius Regius*

JONAS ULLHOLM,

*Wermelandus.*

---

UPSALIAE,  
TYPIS EDMANNIANIS.

1792

*Mag. Kemp*

Consanguineo. Honoratissimo.  
Primum. Academicum. Specimen. Edituro.  
Ingenii. Acumen.  
Et. Præstantes. In. Studiis. Progressus.  
Cum. Omnipotentiæ. Felicitatis. Voto.  
Gratulatur.  
Illi.

Amicissimus.  
**N. AURIVILLIUS.**



## RESPIRATIO DIÆTETICA.

### §. I.

**A**ëris est elementum, in quo versamur, quemque nunc ducimus, nunc reddimus, ut piscis aquam, a primo illo momento temporis, quo materna ex alvo egressi sumus, ad ultimum usque vitæ terminum, sine ulla, vel minutissima, intermissione, si quidem vita frui volumus. *Pulmones*, peculiare viscus, aëri reciprocando inserviens, Creator dedit, æque nobis necessarium, atque est Cor. Etenim ex his duobus, corde videlicet quod fluida premit, & pulmonibus sicca spirantibus, vita pendet, haud fere alter, ac duobus ponderibus carere nequit horologium, ita quidem, ut si alterutrum ex duobus illis impediatur, totum humanæ vitæ veluti horologium immobile subsistat. Machina humani corporis tanquam ex duabus partibus, natura differentibus, est composita, interna nempe & externa substantia, quarum utraque sibi propriam

A

nu-

nutrientem materiam exposcit: Internum seu sistema cerebri, quod est agens & omnem in corpore motum excitat; Externum, quod est spatiens & ab interno regitur, dum hoc tamen ab illo enutratur. Nam contrariis fere sua omnia natura operatur, secum invicem pugnantium rerum lucta toti sibi parat æquilibrium. Horum duorum sum cuilibet est principium, quorum utrumque in ovo jungitur conceptione, tumque constituit *carinam Malpigii & punctum saliens Harvaei*. Sistema nervosum in ovo incubato, post aliquot dies, telæ instar araneæ formam pulli videtur representare. Mox cernitur punctum saliens, seu cor, pulsare, nec aliter atque herbam in ramos crescere, vasisque pullum formare. Scilicet embryo duobus e principiis componitur, veluti tala stamine & subtegmine; nervi tamen stamen præbent, vasa venosa subtegmen; nam maximum roboris ex nervis provenit. Ambo diversa alimenta postulant æque necessaria, quippe quum hi individui comites, si alter alteri defuerit, consistere non possint. Corpus Externum vasculosum succis vitalibus, per œsophagum immittendis, sustentabitur; Corpus Internum nervosum e vaporibus vita-

vitalibus, *spiritus animales* vocant, per tracheam illatis, nutrimentum accipiet. De hocce posteriore mihi jam est propositum differere, nempe *de effectibus aëris in animalium corpora, præcipue secundum regulas diæteticas consideratis.*

## §. II.

Pulmo est organum, a Creatore factum, ut Inspiratio & Exspiratio peragatur, uno nomine RESPIRATIONEM vocamus. Trachea dividitur per dichotomiam magis magisque, donec in tenuissimas desinit vesiculas, e quibus pulmo constat, quæque etiam vesiculæ, aërem sibi invicem communicare possunt. Si junctas harum areas in planum extendi cogitamus, spatum superficie totius corporis majus orietur. Aër sub unaquaque respiratione, in pulmones ingreditur, & retrogradatur, at cum sanguine in pulmonibus non commiscetur, tametsi variatus exit. In pulmones ingrediens, multum in se elastici habet, quod ibi omnino evanescit, postea ineptus novæ respirationi, & egrediens secum multum perspirabile dicit; quod, cum versus speculum aut in frigore, exhalamus, videri potest. Perspiratio Sanctoriana, quæ maximam partem ingestorum exhalat,

præcipue per poros egredi censetur, at vero haud minor copia exspiratione evaporatur.

### §. III.

Talis fabrica est pulmonum in *Mammalibus Avibusque*. Sed AMPHIBIORUM, REPTILIUM & SERPENTIUM alio modo creatus pulmo, quo hæcce animalia aërem inspirant ita, ut sine visibili exspiratione & lente quasi in corpore disperreat. PISCIBUS, pulmonis loco, sunt *Branchiæ operculis* coniectæ Branchiarum, quibus, dum aperiuntur & coarctantur, aqua inter branchias satis lente premitur. INSECTIS, pro pulmonibus, serviunt plures tracheæ ad latera abdominis, *Stigmata* dictæ, quæ suo quæque poro aperitæ hiant; Si oleo hi pori clauduntur, mox insecta suffocantur. Apes, ubi multum diuque circumvolitaverint, videmus, simulac domum redeunt, citissime segmenta sui abdominis expandere & contrahere, haud aliter ac solent Mammalia fortius citiusque post longum laborem respire. VERMES adhuc non bene observati & cogniti sunt, quod ad illorum respirationem attinet; neque tamen necessariam his respirationem negare audemus, quum aliquid analogum respi-

rationi, si quis arctiori loco clauserit, in illis perspiciatur.

## §. IV.

Omnibus temporibus Physiologi sollicite cognati sunt effectum respirationis in corpore humano exquirere. Veteriores credebant, sanguini eam esse refrigerio; postea invasit opinio, quae putabatur aër, dum respiramus cum sanguine commisceri, quod tamen nullo experimento confirmari potuit; tandem visum est permultis sanguinem in pulmonibus tanquam cribro secerni sive rique floridiorem. Ruber sanguis non solum in animantibus invenitur, quæ pulmones duosque ventriculos cordis habent, sed in his etiam, quibus pulmones quidem, at unus modo cordis est ventriculus, tum in piscibus pariter, quibus unum ventriculum cordis branchiasque natura dedit. Sed neque istud tamen primarium finem respirationis constituere, palam faciunt ea animalia, quorum cordi unus tantum inest ventriculus. Etenim sola Mammalia Avesque duobus in corde ventriculis utuntur, ita quidem ut sanguis e ventriculo dextro per arteriam pulmonalem, quæ in ramulos inter vesicas pulmonum abit, per venam provehatur pulmonalem, in sinistrum egre-

egrediens ventriculum; quæ omnia animantia, at nulla alia, calidum habent sanguinem, inspiracione & exspiratione satis festinanter solitum reciprocari. Videmus quidem respirationem accelerari, tum febribus, tum externo exercitio & motu musculari, quibus calor putetur augeri; at vitalis auram in fortiori motu, qui est functio nervorum, magis esse necessariam & requiri ad corroborationem & deperditorum spirituum compensationem credi poterit eo facilius, quod videatur respiratio augeri debilioribus, sive morbus sive debilitas texturæ corporis tales eos fecerit.

## §. V.

Aër, qui pulmones intravit, hinc retrogradatur, uti dictum est, etsi non in sanguinem. Sed tamen heic qualitatem quandam perdit, quam inductam secum non educit, videlicet æthereum quidpiam, quod quale re ipsa sit, nobis valde obscurum est. Quidquid enim ætherem, electricitatem, magnetismum, spiritum, elasticum &c. vocamus, & aëri immixtum novimus, hujus claram ideam nondum comparare licuit. A posteriori scimus, aërem tale quid perdidisse, postquam in pulmonibus electricitate & elasticitate sua oratus,

batus, ac novæ dein respirationi ineptus, exiit.  
Nam certe animal quod demumcumque, arctiori  
loco, quem liber aér non pervadit, sive theca,  
sive vitro, inclusum, simulac omnis, qui adfuerit  
aér, pulmones pertransiit, necessario oportet emo-  
ri, sicuti candela ardens, in clausa lucerna ex-  
stinguitur, ubi flamma tantum ignoti illius pabu-  
li collegit, quantum circumsepto in aëre exstite-  
rat.

## §. VI.

Aetio pulmonum si accuratius perpendatur,  
haud facile possimus aliud statuere, quam respi-  
rationem in systematis cerebrosi usum institutam,  
pulmonumque hoc esse officium, ut ex aëre te-  
nuissimum illud colligat, quod spiritus animales  
vocamus, & lampadem vitæ sustentat. Pulmones  
& Cor systole & diastole sua haud sane sunt syn-  
chroni, sed tres plerumque ictus cor pulsat, sub  
unaquaque respiratione. Cerebrum coarctatur  
paullulum, mox dilatatur, alternis vicibus, in ho-  
mione, certe jam nato, licet haud similiter in fœ-  
tu. Hæc cerebri systole & diastole non cordi,  
sed pulmonibus synchrona est.

In feroci *Tussi Convulsiva*, cerebrum versus  
cranium

cranium distenditur, ita ut ægroto intercludatur spiritus, isque tanquam syncope laboret aut suffocetur.

In fortioribus sternutationibus sæpe vertigine captis afficimur, immo & per nares sanguis erumpit; sub sternutacione illorum, in quibus terebra perforari calvariam oportuit, cerebrum promicat, ac si per aperturam cranii se vellet exprimere.

Quibus, sub magno exercitio, aut lucta, firmiores vires vitæ opus sunt, hi *anhelitum* detinent valdeque premunt; qui vehementiori nisu quidpiam aggrediuntur, graviter etjam anhelant, naso oreque aperto, ut cum respiratione majorem vitalium copiam virium adquirant.

*Affectus*, qui valida cerebri actione oriuntur, semper respirationem mutant: Iratus sonoros, per nares, anhelitus dicit & pulmonibus haud minus, ac si esset Asthmaticus, agitatur: Timidus ægre trahit spiritum, subesse dyspnœam putares.

*Mens Speculativa* omnes suas cogitandi vires colligens, frontem corrugat, sulcos intra oculos

los arat, indicem s<sup>e</sup>pe interponit, oculos obliquat, ciliis conniventibus sublustrat, contrahit mala, genas, labra, pectus, respirat alte, taciteque levat pulmones, parum levatos reciprocatur, respirat etiam per fauces, dum visus, auditus fere otiantur. *Svedenb. Cereb.*

*Qui molesto ex nidore Cephalalgiam, Vertiginem, Carum contraxerunt, in locum alium, quo puriorem auram hauriant, deportati curantur.*

*Qui camera clausi, tanquam carcere, tenentur, vitae fere debilitantur viribus; E contrario, qui se crebrius sudo aëri permittunt, fortiores sunt & alacriores.*

*Destillationes e capite in pectus, quæ s<sup>a</sup>pissime debilitato capiti originem debent, facililime tutissimeque motu, sub dio, equitatione potissimum & mutatione aëris, sistuntur.*

*His, qui animo linquuntur, quod accidit, ubi nervis haud sufficiunt amplius vires ad cor movendum, tutissime insufflatione medemur.*

*Sicubi tenera mollisque femina in convivio*

B

ali-

aliquo, cui major adest hospitum numerus, de-  
liquefcere occuperit, nova quasi vita recreabitur,  
simulac in aërem educta fuerit.

*Infans* sub partu moribundus revocatur ex  
orci faucibus sola insufflatione; medicina, quæ a-  
pud Ægyptios ab longo inde tempore, & ad-  
huc multum culta est, teste *Alpino*.

*Aquis submersi* sæpe excitantur ab inferis a-  
pertura tracheæ, afflatu auræ purioris per folli-  
culum.

In periculosisimis *morbis* per frequenter vi-  
tales vires respiratione metimur, quæ semper,  
prout opus vitæ fuerit, intenditur; ex imo peccato-  
re ductus spiritus corpus levat & vitaes vires  
tanquam auget, unde & post gravem laborem an-  
heli aërem trahimus.

Qui magno dolore aut affectu alio violentio-  
ri obruuntur, profunda agunt *suspria*, quibus e-  
geritur expelliturque dolor.

Contra, spiritum idem tidem supprimere, per-  
niciosa consuetudo; *Servi* in America, ex Ango-  
la Africæ adveSSI, sicubi durius a Dominis tra-  
stan-

stantur, magno non numquam numero in mortem conspirant, ut a Dominis grandi summa pecuniae coëmti, hujus jactura injuriam ulciscantur; moriuntur autem intermissa ultro respiratione. Servus Barbarus coërcito spiritu mortem sibi consivit. *Galenus.*

*Canis vivus*, cultro anatomico subiectus, mortique tandem proximus, paullulum adhuc refocillatur insufflatione aëris puri per tracheam. Ex his omnibus manifestum est, quem in modum æthereum, elasticum illud, quod nervis vitam largitur, pulmones colligant, adeo ut hi æque certo ad systema cerebrosum pertineant ac ventriculus ad corpus vasculosum.

### §. VII.

NASUM Deus resupinatum infundibulum posuit, quo aër attrahitur, nam & in sinu frontis per labyrinthos agitur, ut, si quid terrestre immixtum advenerit, in sinu illo frontis secernatur. Omnia animalia secundum ordinem naturæ per nares respirant, nisi agitata forte a venantibus, copiosiorem auram vitalem ore sibi parare aperto cogantur, ut plus virium vitae colligant.

Multi solent hominum ore aperto respirare, pessima consuetudine, quæque in juvenibus corrigi debuisset, nam inde pectus laeditur. In cameris nostris observamus, si, exempli gratia, speculum quoddam in mensa ponatur, post aliquot dies tenui illud pulvere obductum cerni. Si pulvis hicce microscopio consideratur, patebit, minutulis eam particulis arenæ aut plumarum contineri, quæ cum aëre per ora in pulmones immissæ, digeri in his nequeunt, sed sæpe caussam phthisi primam exhibent, quod, si naribus sua permissa fuisset functio, non accidisset; quare etiam qui multum per os respirant, sæpiissime asthamati & phthisi fiunt obnoxii.

Quanto vitio pulvis lapidosus pectus oneret, apud *Orsenses* Dalekarliæ videre licet, qui ex teneriori lapide arenaceo Cotes suas rotatiles secant, & ante annum tricesimum phthisi plerumque moriuntur. Quin & *Lapicidæ* Stockholmenses, tantum non omnes, aut calculo pulmonum, aut phthisi, aut hæmophysi enecantur; quandoquidem pulvis ille tenuis lapidosus adeo penetrabilis est & volatilis, ut vesica urinaria, inflata suspensa que in officinis illorum, post exactum annum

num, aliquot scrupulos pulveris tenuis lapidosi intus continere deprehendatur.

Quocirca opulentiores nostrorum hominum pulvinos *plumis* effartos improbant, & illorum loco stratis incubant e setis equinis, quoniam pulvis e *plumis* oriundus pectus gravat, & penna sive pluma quoad demumcumque coquatur, vix tamen solvitur.

In superiori parte nasi etiam organum olfactus Creator constituit, ad *odorem*, viribus vitæ aut systemati nervoso noxiū, indicandum, ut tempestive omnia graveolentia, volatilia & naturæ inimica fugiamus.

### §. VIII.

Omnem ubique aërem unius ejusdemque esse indolis haud difficulter quispiam crederet. Sed multis variationibus ratione frigoris & caloris, siccitatis & humiditatis, levitatis & ponderis, rarefactionis & densitatis, tranquillitatis & flaminis subiectus est, præterquam quod variis misceri solet volantium corporum exhalationibus, quæ e terra ascendunt. Singulatim de his agere, nimis jam longum foret, quum insuper otium mihi fecere D.

Doctor Brodd in Dissert. de Morbis ex Hieme,  
 & D. Assess. Siefvert in Dissert. de Aëre Habi-  
 tabili. Ab his prolata præteriens, speciales tantum-  
 modo observationes quasdam adjiciam, quibus o-  
 mnibus inferatur, quam accurato sollicitoque stu-  
 dio delectus sit habendus aëris, in foro diæteti-  
 co ; quare etjam Auctores diætetics inter sex res  
 suas non naturales, aëri respirando primum vul-  
 go tribuerunt locum.

AËR SUFFOCATUS, qui in *sepulcretis* diu  
 clausis, in *puteis* profundis diuque neglectis, in  
*cellis* subterraneis, in *cistis* a longo tempore co-  
 opertis occurrit, tam est mortiferus, quam , qui  
 usquam maxime; nec alia pestis ulla adeo inopi-  
 nam subitamque mortem intet. Nam simulac  
 quispiam in tales latebras vel nasum immiserit,  
 sine prægresso ullo symptomate eneclitus illico in  
 terram concidit. Num propterea, quod talis aër,  
 orbatus æthereo, in se spirituosum vitale rapit?

AËR PUTIDUS e locis uliginosis, cæspitosis,  
 & paludosis exhalans, ubi diu aqua sub terra sta-  
 gnavit, semper morbos affert, quare etjam insalu-  
 bre est prope talia loca obambulare, præsertim  
 mane

mane & vesperi, dum adhuc aguntur nebulæ.

Hujus generis est *venenatus halitus*, qui prodire e tellure multis in locis observatur, uti e Scrobe Peralti Monspelii, Grotha del Cano in Italia, Antro Pyrmontano &c.

*Avernus* lacus quondam Campaniæ Plutoni dicatus, veteribus tam mortiferum vaporem exhalare ferebatur, ut aves transvolantes perimeret, Augusti postremum jussu, excisis silvis circumjacentibus, expurgatus.

*Stutgardia* in Germania, *Tolosæ* in Gallia, adeo olim inimicæ erant sano corpori, ut ne visitarent peregrinatores, metu morborum abigerent; nam qui haud expertus advenerat raro illæsus inde rediit; Nunc stagnantibus ante aquis per paracentes in eductis, æque celebrantur salubres, atque loca ulla alia.

*Uppsalia* nostra multo fieret valetudini commodior, si vetusta palus fossaque, nostris dicta *Kampbaf* & *Stadsdiket*, perfoderentur, ut aqua porro dimitti posset. Diris, tum speramus, febribus exacerbantibus, quæ tot ægros quotannis cruciant & exanimant, careremus.

## §. IX.

NIDORES, occlusis temere caminis, perfrquentes nobis, quibus, sub frigido nimis clima-  
te, camini necessarii sunt, ad calorem parandum  
servandumque ædibus, si minus providerimus aut  
festinemus claudere, multas & periculosas sy-  
stemi cerebri noxas concitant, quare etjam austra-  
les nationes numquam operculis caminorum u-  
tuntur. Sæpe nobis Coryzam, debilitatem capiti  
doloremque, immo & Carum ipsamque mortem  
advehunt, adeo ut, qui sospes ac sanus vesperi  
iverit cubitum, mane mortuus super lecto reper-  
tus sit haud raro; quem ad modum heic Upsa-  
liaæ, ante aliquot annos, duobus accidisse famulis  
meminimus; ne casus hujusmodi inumeros a-  
lios ac pertristes in patria nostra percenseamus.  
Est autem eo gravius periculum, quod nidorem  
ipse sæpe ille, quem aggreditur, non animad-  
vertat, dum tamen somno tentatus primum, mox  
obdormiscit & emoritur.

Præ cæteris nuper exstruati camini aut pin-  
gve, quod his forte inciderit, nidorem creant  
haud diutinum minus, quam perniciosum. O-  
mnes denique camini, in quibus per longum tem-

pus

pus ignis non accensus fuit, foedum pariter nido-  
rem edunt.

Neque nunc loquar de fumo, quem suppo-  
sito igne spargunt mineralia, ut arsenicum, plum-  
bum, hydrargyrum & antimonium.

### §. X.

PUTRIDA & ACESCENTIA sunt duo illa  
veluti subsidia, quibus natura omnia dissolvat de-  
struantque corpora. In primis heic efficax est pu-  
tredo, quæ in alkali volatile cadavera permutat,  
sublata particularum cohæsione. Hæc omne vi-  
scidum disjungit. Est autem omne nutriens vi-  
scidum; nam gluten aut iethyocolla soluta, simul-  
ac putrefgere occipit, vi postea ad conglutinan-  
dum destituitur, & ipse Sphacelus nihil aliud est  
quam putrescentia carnis in animali vivo, ut Gan-  
græna est rancescentia pinguedinis. Omne pu-  
tridum est septicum & corrosivum, ipsi veluti na-  
turæ horrendum. Saluberrimum quod erat ovum  
putredine maximum fit venenum. Aqua e cadave-  
re putrido exstillance est corrosiva & fere Sphace-  
lo exulcerans, teste Meadio.

Ubi solemne est in templis mortuos sepeli-

C

re,

re, æstate fœtor oritur, quo haud paucos correptos in morbum incidisse, immo & mortuos, satiis constat.

Oppida clausa obsidione, ubi homines & animalia fame intereunt & insepulta non raro jacent cadavera, febres mortiferæ invadunt.

In *navibus*, quæ Indiam alterutram petunt, sicubi stagnans aqua computruit, sæpiissime febres putridæ & Dysenteriæ aggrediuntur.

Qui ad litora maris habitant, in quibus fucus, medusæ & alia recrementa maris ejelta calore æstatis putrescunt, facie luridi, tristes, hypochondriaci, & morbidi obveniunt.

E majoribus *urbibus* eductæ sordes extra valum vulgo projiciuntur; ex quo fit, ut proxime habentes domos, fœtore urgente, corripiantur febribus, quæ ibi primam originem ducunt. In locis tali fœtore vitiatis, ipsa vasa argentea, stannea, ænea, immo lintea denique, arctissimis licet clausa repositoriis, nigritia imbuuntur, quæ vix ablui possit, teste *Dygbæo*.

*Dentibus*, nisi idemtidem laventur, squalor in-

inhærescit, qui tandem correptus putredine, cadaverosum dat halitum & ipsos dentes carie aggreditur. Nempe in scorbuto, quia œdema et jam gingivarum nascitur, & gingivæ laxæ generationem viscidi in dentibus admittunt, ex hac putredine oris forte petatur caufsa, cur scorbutici facie tristi minimeque nitenti utantur, haud aliter ac ozæna qui laborant, & per nares semper fætorem horrendum exspirant, luridi & tristiores conspiuntur. Nam lux faciei, quam veteres dicebant, aut splendor cutis, recte valentes indicat, in morbidis sensim evanescit.

In urbibus etjam, quæ civium abundant frequentia, quibus proinde multæ sunt *cloacæ*, per æstatem horrendus fætor circumvagatur, ex quo febres plurimæ, cessantes maximam partem, simulac pluvia aërem purgaverit atque sordes veluti abluerit.

De Judicibus in Anglia memorat Verulamius, siquidem muneris tenebantur ratione, ut semel quotannis captivos fætidis in ergastulis inviserent, saepe accidisse, ut pessimis afflarentur morbis, & mortem inde interduœ occumberent.

Omnes *Artifices*, qui in rebus versantur putridis, ut Coriarii, Candelarii, Vespillones, Fori-

carii, vulgo decolores, Iuridi & cachectici sunt,  
teste *Ramazzino & quotidiana experientia.*

Custodes *Nosocomiorum* s̄epissime morbis af-  
ficiuntur.

*Judæi*, sordidi ut plurimum & inculti vi-  
etu reque familiari, colore produnt viciatam va-  
letudinem.

*Moniales*, angustis prohibitæ cellularum clau-  
stris, s̄epissime a fœtore pallent, nigræ & emar-  
cidæ.

Tota natura ab his, quæ fœtent, abhorret.

*Equus* longe in latus divergens rapitur, sicu-  
bi, juxta viam, putridum cadaver subolfecerit.

*Viverra Putorius* a se feras hostesque alios  
dispellit, fœtore tantum illo, quem emitit, ter-  
ribili, ut primum hostes apropinquaverint.

Ex his satis superque elucet, quantopere ma-  
ius aër noceat, quamque sit necessarium, ut qui  
fanum se alacremque servare velit, haud minus  
accuratum ac continuum purioris respirandæ au-  
ræ delectum, quam ingestorum, adhibeat. Quare  
etjam

etiam Moses jussit, ut milites in castris ligonem secum portarent, quo excrementsa obtegerent, ne morbi castrenses, febres malignæ & Dysenteriæ excitarentur, ut sæpe accidere hodie compertum est. Nec minus prudenter Imperator Theodosius lege sancivit, ut cloacæ Romæ mundarentur, ne fœtor inficeret. Tempore autumnali & verno, dum vegetabilia, folia & ramenta herbarum putrefescunt, plurimæ febres solent infestare.

## §. XI.

Purum æra, quo rura fere gaudent, præsertim editioribus in locis, ubi exhalationes ventis disperguntur, in primis salubrem sentiunt, qui sub illo habitant; quin & frigus ipsum tum æra, tum aquam, purificat. Itaque sanitatem qui servare student, ærem purum ubique deligant; eibum non sumant, nisi ubi purus & salubris ær & saliva possit commisceri & pulmonibus attrahi; in cameris, quibus depresso cœtum, non dormiant; nec obambulent, ubi stagnans aqua fœteat; nebulas denique, densis plerumque exhalationibus gravidas, fugiant. Sed vero e camera, quam in habitant, progressi idoneo etiam corpus exercere motu conentur, haud continue detin-

nendi svetis ædiculis; tum lintea diligenter mutant, ne, postquam hæc perspiratione ejectum sudorem imbiberint, malo contaminentur fætore.

In templis *fornicatis*, ubi aër una cum sociis exhalationibus detinetur, multi, præsertim vere & autumno, febribus intermittentibus pertentantur.

In ædes nuper exstructas lapidibus, quæ per duos & tres annos e muris vaporem aquosum exhalant, ut charta in mensa forte posita inscribendas litteras vix admittat, si qui citius immigrant, in mortiferos morbos incidunt; uti norunt omnes, Stockholmiæ, ante aliquot annos, accidisse, quum sumtuosæ domus, post incendium aquilonalis suburbii, exstructæ, perplures viros haud sane de plebe, nimium properantes, ut inhabitarent, præmaturæ morti tradebant.

### §. XII.

**ALTIUS SITÆ** regiones, quæ minori attinguntur exhalationum vi & siccae sunt, febres intermittentes fere ignorant, contra positæ humilioribus locis, ubi tellus potissimum est argillacea, aquæ tenacior, multis talibus febribus afficiuntur. Pulcra & opipara Hollandia, quæ tota

de-

depressa situ est, uti nobis heic Upsaliæ *pratum dictum Regium*, peregrinis fatalis accidit; qui illuc advenerint, raro nostalgiam & febres criticas aufugiunt.

*Aegyptus* salubris est incolis, per hiemem, quo tempore non pluit, & saluberrima circa Pyramidas, ubi cœlo numquam pluvia demittitur.

*Chinæ & Tartariæ* deserta, ab omnibus fere immunita exhalationibus, faciunt quidem, ut incolis fibræ rigeant, at in causa sunt quoque, cur hi parum ægrotent.

*Helvetii & Sveci*, nati regionibus montosis & editioribus, si quando peregrinantur, recte valent, donec per loca depressa ferri non necesse sit.

Qui tempore autumnali, inter *Romam & Neapolim* itinera faciunt, raro devitant, quin febre mortifera laborent, quod Quercetanus in dialecticis dudum notavit, & anno proxime decurso Generosissimus Baro de Baltimor suo ipsius funeris exemplo confirmavit.

*Scania*, qua silvis distingvitur, lapidosa & silvatica est, hinc agilia etjam in incolis & læta  
nu-

nutrit corpora. Contra campestris, quia argillo-sa est & arenosa, ex quibus duabus caussis fit, ut aqua diu moretur nec disfluat, & habitacula passim suffocante aëre oppleantur, corpora quo-que incolis debilitat, ut his omnino sint dissimi-lia, quæ in parte vigent altera.

SERENUS AËR proprius fere est altioribus locis, quare & majores nostri ædificia in colli-bus exstrebant. Nunc necessitas copiosioris aquæ, coëgit, ut plurimæ urbes depresso-a loca tene-ant. *Arx Regia* nostræ Upsaliæ optimo situ frui-tur; mane altum collem huncce serenus aër col-lustrat, cum ejusdem sub radicibus tota urbs den-sa exhalationum nebula submergitur. *Creta* o-mni ævo in saluberrimis locis fuit habita. *A-thenæ* sereno, quo circumfunduntur, aëri, ipsius-que adeo cœli beneficio, debere haud dubie cre-debantur olim tot, qui nobilitarunt, Doctos & Solertiores Cives. *Insulæ S. Helenæ & Bermu-des*, ab omnibus fere liberæ exhalationibus, in nu-mero maxime salubrium regionum merito ponun-tur, & ægrotantes nautæ, in alterutram qui de-scendunt, nisi morbus eo longius sit progressus, statim

statim curantur. Romani quondam Phthisicos & Asthmaticos ad *Tabis* prope *Vesuvium* siccum amandabant.

**NEBULOSUS AËR**, semper noxius, pluvia, aut vento, aut tonitru purgatur, at periculosisimus idem, sicubi admixta spuncities sit quædam, uti fere est in urbibus, & calidiore sub æstate; quare opulentiores, quibus occasio non deest, per aliquot hebdomadas, dum dies fervent caniculares, ex urbibus solent emigrare.

Pestis, qua Cairo haud raro affligitur, post pluviam cessat, uti febres, ob eandem caussam, per æstatem, Amstelodami. *Tonitrua* maxime aërem emundant & omnia humida multa vicissitudine afficiunt. Vina inde turbantur, aqua lacuum tepeſcit, corpora nostra exæſtuant.

**QUIESCENS AËR**, tanquam aqua stagnans, fere putreficit; ergo incolæ villarum, quæ densis silvis circumdantur, vulgo minus hilares animo minusque incolumes valetudine cernuntur. Omnes *Lappones* Alpini, sub aëre aperto, agiles alacresque vivunt; in densis silvis qui habitant, timidi, tristesque degunt. *Nautici* ad Indias profici-

ficiscentes, dum vento fortiori aguntur, commode valent; sed si acciderit, ut per aliquot hebdomadas tranquillitas maris teneat, multis contra morbis inde vexari occipiunt. In insula *S. Thomæ*, ubi durante solsticio brumali, venti per duos menses quiescunt, in morbos solent quam plurimi incidere. Immo in universum, ubi ventus movetur, incolæ sanitatem gaudent, haud fere aliter ac pisces in rapidis potissimum amnibus & fluminibus firmiores & sapidiores fiunt; nam venti aërem movent, purgant, removent, dissipant, verrunt. Salubrior itaque vita in apricis, venti enim siccant terram, ut lintea.

## T A N T U M.



## Corrigenda.

Pag. 2. l. 3. spatiens *leg.* patiens.

8. l. 5. captis *leg.* capitis.